



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. III. Vtrùm actus caritatis hîc & in patria sint eiusdem speciei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

bene afficiamur; ac deinde eius bonitatem attentius considerantes, incipimus eum propter hanc diligere.

4 *D. Thom.* Docet autem D. Thom. dicto art. 3. & 4. nos primo, secundo & tertio modo posse & debere Deum in hac vita immediatè in se & propter se diligere, quia ipse est ultimus noster rerumque omnium finis, & essentialiter infinita bonitas, & omnis bonitatis creatæ causa exemplaris & efficiens: quare non ipse propter alia, sed contrà omnia alia bona propter ipsum diligenda sunt. Nec his obstat quòd non possimus hic Deum immediatè in se cognoscere, sed tantum mediatis creaturis: quia, etsi non possimus aliquid amare, nisi cognitum, tamen non est necesse ut modus amandi in omnibus sequatur modum cognoscendi: nam quos nunquam videmus ex sola aliorum relatione cognoscimus, & tamen eos non propter horum relationem, sed propter suam virtutem immediatè amamus. Quarto verò modo ait nos amare Deum propter sua beneficia, quia hæc communiter sunt nobis occasio & incitatio cur incipiamus bene erga Deum affici, & ipsius bonitatem considerare, atque ita eum vera caritate propter se ipsum amare.

5 Nota Secundò, alia ratione propter posse significare causam finalem & efficientem non rei amatae, sed ipsius amoris, denotando alium actum, à quo amor imperatur, & hac ratione salutem moraliter causatur; ut si quis ex amore castitatis imperet sibi amorem temperantiæ, tunc amor castitatis est causa amoris temperantiæ, & temperantia amatur propter castitatem.

Lorca. Est autè difficultas utrùm hac ratione Deus possit propter aliquid aliud amari, ita ut amor huius rei, illius amorem imperet. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 30. concedit actum amoris Dei posse quidem dicto modo causari ab actu spei, aut alterius virtutis: ait tamen eo casu nec hunc actum fore efficacem causam illius amoris Dei (quia actus reflexus nequit efficaciter imperare actum proprium voluntatis) nec eius obiectum fore causam finalem illius amoris Dei; quia tunc Deus non amaretur propter se, sed propter aliud.

6 Sed in hoc secundo apertè fallitur; nam hæc sunt valde distincta, me referre meum actum in aliquem finem distinctum, & me in eum referre ipsum obiectum mei actus: v. c. aliud longe est me elicere verum actum caritatis, quia scio hunc esse utilem ad augendam beatitudinem meam; aliud verò, me amare Deum quatenus est mea beatitudo, aut quia ab eo expecto beatitudinem: in priore enim casu bonitas Dei, qua in se est bonus, est obiectum formale illius amoris, quo ipsum amo; in secundo casu obiectum formale illius amoris est bonitas Dei, qua mihi bonus est.

7 Vbi Nota Tertio, in priore casu interuenire tres actus. Primus, est desiderium siue intentio augmenti beatitudinis. Secundus, est volitio siue electio mediæ, qua eligo ipsum actum caritatis, quatenus utilis est ad augendam beatitudinem. Tertius, est actus caritatis, quo amo Deum immediatè quia in se bonus est: vbi duo priores

actus sunt actus spei, tertius est actus caritatis. Primus imperat secundum, & hic tertius. Aliud exemplum quotidianum est, quando quis desiderans obtinere remissionem peccatorum eligit ad hunc finem actum caritatis siue contritionis. quo casu apertè patet, verum actum caritatis (qualis necessariò est contritio) eligi propter alium finem.

Quòd autem illa electio sit vera causa illius actus caritatis, simili modo, quo intentio est causa electionis, patet, quia sicut intentio formaliter siue tamquam forma ei inhaerens inclinat voluntatem ut eligat mediæ, ita ea electio eam inclinat ut eliciat actum, qui iudicatur utilis ad finem intentum obtinendum (in quo consistit omnis ratio qua virius actus voluntati imperat & causat alium): atqui illud sufficit ut intentio sit verè causa electionis: ergo etià sufficit ut electio sit verè causa illius actus voluntatis, qui eligitur. Et confirmatur, quia quando voluntas intendens finem applicat intellectum ut excogitet mediæ ad illum utilis, intentio non est aliter causa huius intellectionis, quàm quatenus formaliter mouet voluntatem ut intellectum applicet ad eam elicendam, & nihilominus dicitur vera eius causa, & hæc intellectio verè exercetur propter illum finem: ergo cum simili modo illa electio, qua quis eligit elicere actum caritatis, ut obtineat remissionem peccati, moueat voluntatem ut eliciat actum caritatis, ipsa erit vera huius causa, & hic verè elicietur propter illius finem. Et hac ratione Deum vero actu caritatis posse amari propter mercedem æternam, quatenus propter respicit huc denotat non obiectum formale ipsius amoris quo Deus amatur, aut finem rei amatae, sed finem ad quem ipse amor Dei ab amante refertur, expressè docent D. Thom. in 3. d. 29. q. 1. art. 4. in corpore. & Durand. ibid. q. 3. lit. F. siue in 2. parte conclus. quos etiam refert Lorca supra n. 11. sed eos aliter omnino explicat, putatque D. Thom. 2. 2. q. 27. a. 3. quæ ibi docuerat reuocasse. sed eius mentem non est assecutus, ut facile patebit legenti. Utrùm autem possimus Deum amare eiùs seruire propter mercedem æternam vel temporalem, ita ut hæc sit obiectum formale illius actus, quo volumus Deum amare eiùs seruire, pertinet ad tractatum de spe, & explicui disp. 19. dub. 5.

D V B I V M III.

Utrum actus caritatis hic & in patria sint eiusdem speciei?

9 Vidam affirmant, hos actus esse simplices eiusdem speciei, & solum differre accidentaliter, quia scilicet actus caritatis in patria est necessarius, & perpetuò sine interruptione cum summa facilitate & voluptate elicitur, cum hic sit liber & necessariò sæpè interrumpatur. Addunt alij, ibi semper esse sine comparisone intensiorem. de quo agemus infra. Ita Bañez 2. 2. q. 24. a. 8. Medina 3. p. q. 19. a. 3. & 4. q. 2. sub finem. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 18. nu. 4. & quidam alij, qui pro se citant Dionys. Carthus. in 1. d. 17. q. 8.

Qua ratione
viri actus
voluntatis
imperet siue
causet aliq.

Qua ratione
Deus actu
caritatis
possit amari
propter viam
æternam.

D. Thom.
Durand.
Lorca.
D. Thom.

Bañez.
Medina.
Lorca.
Dionys.
Carthus.

q. 8. sed ibi potius videtur dicere contrarium. ait enim: *Quoniam caritas via & patria in substantia sua omnino eiusdem est rationis, non autem operatio eius, quæ est dilectio, quia dilectio sequitur cognitionem, propter quod aliud ac aliud genus cognitionis inducit aliud genus dilectionis.* vbi aperte docet, illam dilectionem in sua substantia esse alterius rationis ab hac: atque ita aperte docet, habitum caritatis hinc & in patria esse eiusdem rationis secundum substantiam, actum verò diuersæ.

1. Cor. 13. Probatur verò illorum sententia Primò, quia Apostolus 1. ad Cor. 13. docet caritatem manere in patria: atqui hoc esset falsum, nisi eius actus utrobique esset eiusdem speciei: ergo hoc est necessario dicendum.

Probatur Secundò, quia actus specificatur ab obiectis: atqui utrobique manet idem obiectum formale: ergo etiam idem actus.

10 Sed hæ rationes non satis probant intentum. Ad primam Respondeo Primò, Apostolum facile posse intelligi de habitu caritatis, qui manet omnino idem in patria.

Qua ratione actus caritatis maneat in patria.

Respondeo Secundo, & fortè melius, Apostolum etiam loqui de ipso actu caritatis, quem dicit nunquam excidere, & consequenter manere in patria: non quia manet omnino idem etiam secundum speciem, sed quia tam in patria quam hinc verò & propriè dicto actu caritatis Deum amamus; atque ita verus actus caritatis ibi manet, siue sit eiusdem speciei siue diuersæ, quod ad propositum Apostoli non spectabat: qui solum volebat ostendere caritatem esse excellentiorem fide & spe, quia hæ ex se dicunt aliquam imperfectionem, aut in modo tendendi in obiectum, aut saltem in suo subiecto: nam fides tendit necessariò in obiectum modo obscuro, & spes in obiectum absens, siue quo sperans caret, qui modi tendendi sunt ijs ita essentialia, ut aliter nequeant habere rationem fidei aut spei, siue ita ut hi actus nequeant vlla ratione aliter elici, ut supra suis locis ostendi. Secus est de caritate, cuius actus ex se nullam imperfectionem dicit, aut connotat; ideoque in patria, vbi abest omnis imperfectio, verus actus caritatis reperitur.

11 Vbi Nota, sacram Scripturam, quando rem aliquam laudandam suscipit, ut nos ad eius amorem excitet, laudare eam in genere sumptâ, & prout abstrahit ab hac vel illa specie; adeò ut sæpè de rebus diuersissimis & non solum specie, sed etiam toto genere differentibus, atq; adeò de creatis & increatis, eò quòd in proprietate eiusdem nominis & aliqua analogia inter se cõueniant, tamquam de omnino iisdem loquatur. sic Salomon Prouerb. 8. ut nos excitet ad amorem sapientiæ, laudat sapientiam in genere, & mistim loquitur modò de creata, modò de increata, quasi esset eadem res. Et simili modo S. Iohan. epistol. 1. c. 4. loquitur de caritate creata & increata. Quem etiam loquendi modum D. Augustinus quibusdam locis imitatur, ita ut Magister ex ijs acceperit occasionem putandi non aliam nobis inesse caritatem, quam ipsum Spiritum sanctum. ut ostendi disp. 21. nu. 5. & 6.

1. Iohan. 4. Prouerb. 8. August. 1. Cor. 13. Et simili modo Apostolus 1. ad Cor. 13. loquitur

de actu caritatis in via & in patria, utrumque tamquam vnum recensendo.

Confirmatur, quia Apostolus insinuat idè caritatem manere in patria, quia caret imperfectione; cum tamen ad Philipp. 3. agens de sua in Deum caritate, qua propter Christum terrena omnia deseruerat & arbitrabatur ut sterco- ra, & cupiebat configurari morti eius, siue pro ipso mori & crucifigi; dicit tamen se nondum perfectum esse, scilicet in caritate, sed continuò contendere ut consequatur perfectionem caritatis, quam expectabat in celo. vbi clarè ostendit, omnem nostrum amorem hinc esse imperfectum. Et sanè per se patet, etiam perfectissimos hinc modo aliquo imperfecto Deum amare, ut infra magis declarabo. Hinc D. August. lib. de Perfect. iustitiæ ratiocin. 17. cuius verba citauimus disp. 22. n. 78. docet, nos hinc ob imperfectione caritatis non posse implere illud præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.

Ad secundam, Respondeo actus nostros accipere quidem speciem ab obiectis formalibus, non tamen ab his solis, ut ostendi disput. 5. dub. 2. quare neganda est consequ.

Alij igitur docent, hos actus esse diuersæ speciei. Ita Pesant. 2. 2. q. 2. 4. a. 12. disp. 1. concl. 3. Caietan. 1. p. quæst. 82. a. 2. in fine. Ferrar 3. cõtra Gentes cap. 62. Dionys. citatus n. 9. Capreol. & Almain. citati à Torres 2. 2. disput. 77. dub. 6. & D. Dionys. 7. ad 3. vbi docet, actum caritatis viæ non posse pertingere ad perfectione caritatis patriæ, quia sunt diuersæ rationis, sicut linea & superficies, quæ malè dicerentur, si secundum substantiam essent omnino eiusdem rationis.

Probatur Primò, quia, ut patet Matth. 11. v. 11. vbi dicitur minimus in regno celorũ esse maior Iohanne Baptista; & ex multis locis D. Augustini relatis dub. 6. caritas minimi Beati in celo est perfectior caritate cuiusvis viatoris: atqui hoc nequit intelligi de sola maiore intentione: ergo debet intelligi de maiore perfectione speciei siue essentiali.

Ad hoc argumentum alij variè respondent, prout quisque diuersimodè sentit de ratione, qua actus caritatis in celo sit perfectior quam in via: quorum responsiones breuitatis causa omitto, quia mea sententia à firmitate huius argumenti non pendet, quamuis ex eo non improbabiler inferatur.

14 Probatur Secundò, quia amor viæ habet rationem meriti, amor beatificus rationem præmij: ergo sunt diuersæ speciei: quia actus eiusdè ordinis siue speciei non videtur posse habere rationem meriti & præmij. Tertio, quia amor patriæ habet effectum longè altioris ordinis, & diuersæ rationis ab omni effectu caritatis in viæ: nam gaudium, quod ex illo nascitur, est incomparabiliter perfectius & altioris ordinis supra omne gaudium quod hinc possit haberi in viæ: ergo ille amor est diuersæ speciei ab hoc: quia ex diuersitate effectuum colligitur diuersitas causæ. Nec refert quòd illud gaudium nascatur etiam ex visione beatifica, quia non nascitur ex hac nisi mediante amore, præsertim si loquamur de gaudio quod Beati cõcipiunt, non ex sua beati-

beatitudine, sed ex beatitudine ipsius Dei; quod procedit propriè ex amore amicitiae erga Deum. Quartò, quia cognitio altioris ordinis inducit amorem altioris ordinis: atqui cognitio patriae est altioris ordinis: ergo, &c. Sed ut hæc ratio firma sit, indiget maiore explicatione.

15 Ut autem hæc difficultas facilius possit explicari, repetenda hic sunt quædam, quæ dixi tom. 2. de Sacram. disp. 2. dub. 7. n. 64. ubi ostendi Primò, amorem tam naturalem quam supernaturalem posse habere duplicem perfectionem sibi intrinsicam, quæ unus alterum superet, scilicet vel ratione maioris intensiōis, vel ratione maioris appetitiōis. Secundò, priorem perfectionem sepius nasci ex maiore aliqua naturali inclinatione aut sympathia partis inferioris erga rem amaram, aliâue amantis dispositione: unde etiam ea ferè intensius amamus quæ sensibus percipimus, aut quibus iam diu affueimus, quam alia quæ meliora iudicamus. Secundam verò communiter nasci ex aliquo iudicio siue recto, siue perverso, quo aliquod obiectum hic & nunc plus aestimamus. Et hoc modo communiter magis amamus ea, quæ hic & nunc iudicamus meliora, quamuis voluntas ex innata sibi libertate, possit quandoque facere contrarium.

16 Ostendi Tertio, nos sepe minus intensè amare ea quæ appetitiuè amamus magis; eò quod etsi hæc iudicemus præstantiora, tamen erga illa ob rationes supra allatas naturaliter magis inclinamur; atque ita maiore impetu in eorum amorem ferimur, ex quo nascitur maior intensio ipsius actus. Sic mater ob continuam mihiore filio familiaritatem & oblectationem, quam ex eius præsentia percipit, solet hunc amare intensius, cum tamen maiorem appetitiuè magis amet. Cuius manifestum signum est, quod quoduis incommodum minoris filij longè magis sentiat, quam incommodum maioris: si tamen alteruter deberet mori, mallet minorem mori, quam maiorem. Similiter multi viri probi mallet uxorem, liberos, & vitam amittere, quam peccare mortaliter; atque ita Deum appetitiuè præ illis amant: sitam contingat eos ex infirmitate peccare mortaliter, non sentiunt in se tam vehementem dolorem ac animi commotionem, nec possunt ita lacrymari, sicut facerent si uxorem & liberos perderent; unde colligitur quod hos intensius amant: quia intensius amant in voluntate, cum hanc naturaliter valde concitet in rem amatam, consequenter simul secum rapit partem inferiorem, atque ita dolorem & lacrymas citò, &c.

Respondet aliqui hinc solum sequi tales maiore affectu appetitus sensitiui prosequi uxores & filios quam Deum: non autè maiore affectu voluntatis. Ita Scotus in 3. dist. 27. §. De primò dicto. Sed hoc non satisfacit, quia cum voluntas & appetitus sensitiui sint inter se conexi, & illa naturaliter sequatur hanc impetum, & illa cohibeat: sequitur eam nisi se cohibeat, vehementius siue maiore impetu etiam ferri in ea, in quibus vehementius fertur, & consequenter etiam in casibus prædictis voluntatè vehementius amare ea quæ minus amant appetitiuè. Consummatur Coniunctio de act. supernat.

tur, quia Beati æquè intensè amant Deum & proximum: & tamen Deum amant incomparabiliter magis appetitiuè. Cum igitur ex his clare constet nos posse duas res æquè intensè amare, quarum alteram sine comparatione amamus magis appetitiuè; nulla potest adferri ratio, cur non possimus eam amare intensius, quam amamus minus appetitiuè.

Ostendi Quartò, perfectionem appetitiuam esse magis principalem magisque substantialem ipsi actui, non solum considerato in genere moris, sed etiam secundum entitatè physicam. nam idem actus respectu eiusdem obiecti eodem modo propositi, solum ratione diuersæ dispositionis aut conatus ipsius elicientis, potest intendi ac remitti; quod signum est hanc perfectionem non esse substantialem, sed absolute accidentale ipsi actui, cui modò adesse, modò abesse potest. Contra verò non videtur fieri posse, ut eodem actu aliquid autem, modò perfectius, modò imperfectius appetitiuè; tunc quia hæc variatio vix fieri potest, nisi in obiecto aliquid apprehendatur, quod antè non apprehendebatur, vel contra; tum etià quia non fit additione aut deductione alienius gradus aut partis ipsius actus, prout fit intensio aut remissio, sed mutatione totius actus. Nam cum aliquid appetitiuè magis amo quam antea, toto actu aliter in illud tendò quam antea; atque ita actus se toto videtur necessariò mutari, cum nulla sit ratio cui eum potius dicamus mutari secundum unam partem, quam secundum aliam.

18 CONCLUSIO 1. Actus caritatis in quouis Beato est appetitiuè, & consequenter iuxta dicta n. 17. substantialiter perfectior quouis actui cuiusvis viatoris. Prob. Primò, quia quouis Beatus Deum eiusque bonitatem, & quam ipse supra omne aliud bonum quod quacunque ratione excogitari possit, se in se habet magis desiderabilis & amabilis, incomparabiliter etiam cognoscit, ac consequenter perfectius aestimat, quam vlla creatura possibilis Deum eiusque bonitatem hic in via cognoscere aut aestimare possit: cum igitur ibi perfectio amoris exactè sequatur perfectionem intellectiōis, sequitur quemvis Beatum Deum incomparabiliter appetitiuè magis siue perfectius amare, quam vllus viator eum possit amare.

Prob. Secundò, à posteriore. Quia quouis Beatus ex vi sui amoris quo in Deum fertur, efficaciter determinatur ad omnia alia bona ac mala præ voluntatè beneplacito ita coramendanda, ut impossibile ei sit aliquod peccatum etiam veniale committere, aut aliquod bonum quantumvis grande contra Dei beneplacitum, vel leuiter appetere; adeò ut si videret id fore ad maiorem Dei gloriam ei que placere, ut grauissimam mala sustineret, id que sine vlllo alio finem, id promptissimè eligeret, ac omnibus commodis præponeret; ea que constantissimè & libentissimè etiam longissimo tempore perferret, modò ille amor in eo semper duraret. Quod patet superpetare amorem cuiusvis viatoris, quo cum peccatum veniale potest consistere; nec ita promptam & constantem eius voluntatem in malis grauib. Dei causa acceptandis, ac

R r

per-

Beati æquè intensè amant Deum & proximum.

17 Perfectio appetitiua est principalior magis substantialis ipsi actui.

Nequeo eodem actu aliquid modò perfectius, modò imperfectius appetitiuè amare.

Quouis Beatus sine comparatione appetitiuè magis amat Deum quam vllus viator eum amare possit.

August.

perferendis, ac in tentationibus vincendis efficit, ut hæc efficaciter & constanter sine actualibus & quidē magnis ac specialibus Dei auxilijs appetere ac perferre possit. Vnde etiam D. August. citatus disp. 22. nu. 78. docet, caritatem hinc non esse perfectam, nec hominem hinc posse amare Deum ex toto corde, & ex tota virtute, quia numquam hinc caret omni cupiditate, sed hoc futurum in celo.

19

Nec est quodd mihi hinc aliquis obijciat Adamum in paradiso, aut B. Virginem, qui caruerūt omni inordinata cupiditate, quia hoc non accidit ijs præcisè ratione caritatis, quam habebāt, sed ratione singularium auxiliorum, quibus à Deo custodiebantur, siue hæc fuerint actualia, siue habitualia, de quibus hinc non disputo.

Adde, Adamum his omnibus non obstatibus in peccatum lapsum esse: quod Beatis impossibile est. Possunt hæc aliquo modo exemplo declarari; ponamus enim puerum triū aut quatuor annorum habere gemmam pretiosissimam, quæ multis aureorū millibus æstimeretur: quantumvis ei dicas illam pluris valere omnibus crepundijs alijsque puerilibus oblectationibus, varijsque rationibus ipsi illius valorem persuaideas, ipse tamen numquam poterit hunc satis concipere, illamque vel millesima ex parte tanti æstimare, quanti eam peritus gemmarius æstimat; quare nec illius adipiscendi causa, nisi difficillimè, puerilia oblectamenta contemnet. Mihi autē omnino persuadeo, æstimationem quam Beati de Deo habent in celo longè adhuc magis superare eam quam hinc de eo habemus, sicut eorū de Deo cognitio nostram magis superat; ita scilicet ut cognitio & æstimatio illius gemmæ, quā habet gemmarius, longè minùs superet cognitionē & æstimationem quā habet ille puer, quā cognitio & æstimatio Dei in Beatis superet eam quam hinc illuminatissimus habeat. Quod vel inde patet, quodd sine speciali Dei gratia nullum alienius momenti sine graui difficultate pro ipsius amore possimus constanter aut bonū deferere, aut malum pati: quod tamen Beatis esset facillimum.

Dices, Amamus hinc Deum appretiatiue super omnia: ergo fieri non potest ut Beati eum appretiatiue magis ament. Respondeo negando consequentiam: nam, ut ostendam disp. 24. dub. 8. n. 149. fieri potest ut inter duos amantes Deū appretiatiue super omnia, vnus cum appretiatiue magis amet quā alius.

20

CONCLUSIO II. Hæc differentia inter vtrūque actum videretur esse specifica, prout docent Auctores citati nu. 14. Probatur Primò, quia, ut iam ostendi, perfectio appretiatiua amoris sequitur perfectionem appretiatiuam ipsius cognitionis: atqui hæc in Beatis est altioris ordinis, & speciei perfectioris appretiatiue cuiusvis cognitionis, quam hinc de Deo habere possimus: ergo similiter appretiatio amoris erit in ijs altioris ordinis, & perfectioris speciei.

Secundò, quia quando duo ita inter se se habent, ut, quantumvis vnum in suo ordine perfectiatur, numquam possit pertingere ad perfectionem alterius, bene colligimus vnum esse altioris ordinis siue perfectioris speciei: atqui di-

cti amores ita inter se se habent; nam, ut ostēdi, quantumvis amor vix hinc perfectiatur, numquam perueniet ad perfectionem amoris patriæ: ergo hinc est altioris ordinis. Et hac ratione quivis Beatus est maior quovis viatore, ut dixi disp. 22. n. 79.

DVBIUM IV.

Utrum actus caritatis sit intensior in patria quam in via?

POTEST hæc difficultas intelligi respectu eiusdem, siue an in eodem semper actus caritatis sit intensior in patria quā in via; Secundò, respectu diuersorum, siue an minimus Beatus habeat intensiorem actum caritatis quovis viatore. Præter eos, qui putant habitum caritatis in minimo Beato esse intensiorem habitu cuiusvis viatoris, excepta saltem B. Virgine (quos citavi & refutavi disput. 22. dub. 6.) quidam quos citavi eodem dubio n. 89. idem sentientes nobiscum de habitu, videntur sentire actum in vtroque sensu ibi fore intensiorem, atque adeo hunc fore multo intensiorem ipso habitu.

Probant Primò, quia obiectum caritatis sine comparatione ibi erit perfectius applicatum potentie: ergo hæc illud intensius amabit. Sed hoc argumentum loco citato satis refutavi. Secundò, quia constat caritatem longè fore perfectiorem in patria, quā hinc: atqui hoc nequit intelligi de habitu: ergo debet intelligi de actu: ergo hinc ibi debet esse intensior. Sed secunda hæc consequentia neganda est: nam, ut patet ex dubio præcedenti, alia ratione siue maiore intensione actus potest esse perfectior in patria, quā hinc.

CONCLUSIO I. Actus caritatis in eodem ferè semper est intensior in patria quā hinc. Hæc est communis Theologorum, & eius ratio est clara; quia cum per quemvis actum caritatis augeam habitum, ferè semper post actum elicitum habeo intensiorem habitum, quā fuerit ipse actus, ut patet ex dictis disp. 22. dub. 4. cum igitur in celo actus semper sit tam intensus quā habitus, sequitur actum ibi in eodem fore ferè semper intensiorem quā hinc. His addo, eos præsertim, qui habent intensum valde habitum, raro hinc elicere actus ei æquales.

Dixi, ferè semper, &c. quia posset fortè dari casus, in quo aliquis tam intensum haberet actum caritatis hinc, quā in celo: nam si quis infidelis primò iustificaretur per actum caritatis, & statim moreretur, ita ut non reciperet intensiorem habitum quā fuerit ipse actus: tunc in celo non haberet actum intensiorem quā in via habuisset. Imò si poneretur ille casus, fieri posset quodd aliquis intensius amaret Deum hinc, quā amaret in patria: quia, ut ostendi disp. 22. dub. 4. probabilius est talem non accepturum habitum tam intensum quā eliceret ipse actus. Sed credo hunc casum facile posse fingi, non tamen ita facile contingere, Deo res nostras aliter disponente. Nec his obest quodd aliqui credant nos in celo elicere pro actus intensiores ipso habitu, quia contrarium est multò